

V C
5206



J.



MAURITIUS ALTER,

QVI FUIT

SED EHEU! FUIT

SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS
DOMINUS,

DOMINUS

JOHANN GEOR-
GIUS TERTIUS,

DUX SAXONIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ AC
MONTIUM, NEC NON ANGRIÆ ET WEST-
PHALIÆ, S. ROM. IMPERII ARCHI-MARESCHALLUS ET ELECTOR,
LANDGRAVIUS THURINGIÆ, MARCHIO MISNIÆ AC UTRI-
USQVE LUSATIÆ, BURGGRAVIUS MAGDEBURGI, COMES
PRINCIPALI DIGNITATE HENNEBERGICUS, COMES
MARCÆ, RAVENSBERGÆ ET BARBY, DYNASTA
RAVENSTEINII,

MAGNANIMUS, FORTIS, INVICTUS,
HEROS MAXIMUS,

PATER PATRIÆ OPTIMUS,

DOMINUS NOSTER CLEMENTISSIMUS,
NUTRITOR INDULGENTISSIMUS,
NUNC BEATISSIMUS.

DIXIT

IPSO ILLUSTRISSIMARUM EXEQVIARUM
DIE

XI. DECEMBR. A. MDC XCI.

ACADEMIÆ LIPSIENSIS NOMINE

IN ÆDE PAULINA PUBLICE SOLENNITERQVE

D. VAL. ALBERTI, P.P.



LIPSIÆ,
Apud CHRISTOPH. FLEISCHERUM.



De Divo Mauritio

Camerarius in Orat. I.

Impendimus hanc tristissimam operam, & moestis-
simum præstamus officium Illustrissimo Duci, Ca-
rissimoque Principi & unico in terris Parenti No-
stro, ut significemus, incredibili dolore confici animos
nostros: Et persolvamus hæc quasi justa sepulchri
Principi Nostro, quem pietas erga Patriam & virtus
sua ad præmaturam mortem & celerem exitum ex hac
vita, sibi illum quidem gloriosum, sed suis lamentabi-
lem & Reipublicæ luctuosum, deduxit.



Ogitanti mihi, Patres Conscripti, quid per trimestre proximum egerimus hac in civitate, quidque jam faciamus, hodieque præstituri simus ulterius, venit in mentem illius temporis, quo Romani, mortuo Constantino Magno, nos, & quæ hætenus publici ac communis luctus tristissima fecimus indicia, non inepte referebant. Parum videbatur illis, comperta Imperatoris morte, collugere animo, nisi & externo apparatu prolixè idem testarentur. Imò, quod in publica monumenta relatum novimus, *Senatus Populusque Romanus gravissimum hunc nuncium, & quavis calamitate acerbiores rati, nullum luctui modum faciebant. Quippe balnea & fora rerum venalium clausa: publica item spectacula, & quæcunque alia vitæ oblectamenta homines in otio degentes consuetari solent, remota. Et qui prius delitiis diffluxerant, moesti tunc per vias incedebant. Omnes Imperatorem Beatum, Deo charum & Imperio prorsus dignissimum prædicabant.* Quid nos egerimus, postquam de morte Serenissimi Electoris, Domini Nostri Clementissimi, facti fuimus certiores, neminem quidem latet, nec ego is sum, qui per omnes has Provincias, quæ eandem lugendi causam habent, in gratiam Lipsiæ Nostræ ulli palmam pietatis dubiam reddere ausim; Id tamen dicere non erubesco, Romanorum in morem illius temporis, nos hætenus nihil omisisse eorum, quæ de dolore nostro, quem inde percepimus,

acerbissimo, clare ac decenter testari potuerunt. Nam & verissimum est, & compertum omnibus atque exploratum, quod Academia & Civitas nostra, & in utraq; Senatus Populusque, intellecta Electoris morte, gravissimum hunc nuncium, & quavis calamitate acerbiolem rati, nullum luctui modum fecerint. Balnea & fora rerum venalium clausa non fuerint; cum id mores horum temporum non ferant nec requirant; Publica tamen spectacula, nundinarum etiam tempore, concentum omnem Musicum in sacris pariter ac profanis ædibus, viisque publicis, & quæcunque alia vitæ oblectamenta homines in otio degentes consecrari solent, summo studio removimus. Si qui delitiis prius diffluxerunt, mœsti per vias incedere iussi sunt, præeuntibus utriusque Curia Proceribus, qui lugubribus ipsi vestibus involuti, ornatum ac splendorem omnem exuerunt, ipsaque templa, injecto parietibus non dissimili vestitu, denigrarunt. Omnes Electorem Beatum, Deo charum & Imperio prorsus dignissimum, prædicant. Unum autem videtur esse, in quo deficiamus adhuc, pariaque cum Romanis non præstamus. *Neque enim Romani hæc voce tantum nuda, declarabant: Sed, ut est apud Historicum, imaginibus dedicatis mortuum perinde ac superstitem honorabant.* Nihil horum, quod meminerim, factum est hæctenus à nobis, præsertim cum ritus ille à Gentilium superstitione non sit prorsus alienus. Ne tamen hac etiam in parte officio nostro defuisse videamur, hoc præsertim die, quò Serenissimus Elector Filius iusta Paterno funeri exquisitissimis splendidissimisque ceremoniis Freibergæ solvit; ego ea, quæ Christianum non dedecet, ratione, Beatissimum Electorem Nostrum in Imagine sui simillima vere-

FUNEBRIS.

3

vereqve illustri, aut, ut clarius loqvar, in Electore Mauritio, Heroe sui temporis incomparabili, apte, cum Nostro, decenterqve collato, publico nomine jam honorabo & celebrabo, certa spe fretus fore, ut cum necessitas dicendi mihi sit imposita, tanta verò ingenii vis aut studii incitatio, aut elaboratio industriæ de me sperari non possit, quanta jure meritoqve requiritur; hic tamen defectus meus, alterum, illum dum suppleo, æquitate vestrà obtegatur & compenfetur.

Oculos vero dum attollo paululum atqve circumfero, video non tantùm in columnis ex adverso positis eleganti ordine venerandas Majorum imagines, & inter has Mauriti Nostri, Nostri quasi simul referentem; sed & videor mihi aliud ingredi templum, in quo ad ipsum Celsissimæ Domus Saxonicæ fastigium deducamur & extollamur. Situm hoc est Augustæ Vindelicorum, & ab Afra Virgine ac Martyre per superstitionem superiorum seculorum denominatum. In hoc Fridericus III. nomine ac re Sapiens, in præclarissimo monumento, quod Ottoni III. Imperatori suis sumptibus exstrui curavit, dulcissimos, ut loquitur, Progenitores suos, tres nimirum ex Imperatoribus Ottones; Henricum Aucupem, Augustum; Ottonem, Romani Imperii Governatorem; Luitolphum Ducem, & Brunonem Magni Wittekindi fratrem, testis omni exceptione major ostendit nobis suisqve nominibus ac titulis describit. Ingens gloria, quæ à tot tantisque Heroibus longissima serie ac multorum seculorum decursu, per ipsum Mauritium in Beatissimum Nostri diffunditur ac derivatur. Quod si, secundum Pindari monitum, primam cujusque operis faciem illustrem esse decet, ut tam speciem sui quam

B

spem

spem de reliquis partibus non vulgarem præbere, possit; nescio, quod initium hõc Herois Nostri auspicio possit esse splendidius & clarius. Enimverò cum hæc Natalium Majestas longè sit maxima, majus tamen adhuc illud est, quod inde illustribus animabus adhærere solet, virtutis incitamentum. Solum Albertus, ut de reliquis Beatissimi Nostri Majoribus nihil dicam, tantum valuit apud Mauritium, ipsum, ut & ante oculos eum semper quasi haberet, & ad ejus exemplum omnes actiones suas componeret, quid? affectum suum ipso nomine Alberti, quo unicum Filiolum suum in Baptismo insigniri volebat, publicè testaretur. Nec alius erat, quem & Noster imprimis gloriosè imitandum proposuerat, sibi. Nolo adducere honores, quibus Albertus olim ex merito dignus habitus fuit; cum & Rex Bohemix aliquando designaretur, & ab ipso Friderico Sapiente, jam mortuus, is judicaretur esse, qui Cæsar, creari potuisset. Postquam enim Maximilianus I. diem obiisset suum, deque Successore solliciti essent Electores, *inter illas deliberationes* (ita scribit gravissimus quidam Autor) *dixisse Fridericum accepimus: si Patruus suus Albertus viveret, nemini alteri Imperii se gubernationem concessurum fuisse.* Id vero quid est, quod *Friderici III. & Maximiliani I. Imperatorum hostes, Matthiam Regem Hungariæ repulit ex Austria, Carolum Gallix è toto ejecit Belgio?* Quibus verbis hæc ejus merita Freibergæ in splendidissimo Mauritiï monumento descripta extant. Scio, quando hæc auditis, Patres Conscripti, præcipere jam cogitatione vos ea, quæ de Heroë Nostro post dicentur à me & deducuntur uberius: Res nimirum ejus gestas in Hungaria & Austria, & contra Gallum in Imperio, ad quas fortiter suscipiendas vel
ipsa

ipsa natura eum abundè instruxisse videbatur. *Constat Mauritium*, inquit gravisimus Scriptor, à prima pueritia præstitisse cæteris facile omnibus tribus pulcherrimis & memorabilibus rebus, formositate, viribus, humanitate. Sic & Heros Noster, singulari Naturæ aut ipsius potius DEI beneficio, erat pulcherrimo corpore, firmissimo robore, animo humanissimo non minus quam fortissimo, ut priscum illum Græciæ Achillem, secundum elogia Principis Poëtarum Homeri, uterque ille Patriæ Nostræ Achilles examusim referret. Egregia hæc sunt regiaque ipsarum virtutum lineamenta, quæ in corpore quidem se produnt statim, sed institutione ac educatione magis magisque excoluntur & perficiuntur. Tanta vero Mauritiæ erat felicitas, ut cum domi à Parente Henrico, Principe cum aliis virtutibus tum pietate inprimis ita eccellente, ut proprium nomen suum ipsi communicaret; apud Agnatum tamen, Johannem Fridericum, pium & illum & fortissimum Electorem, ad tempus educaretur, & ad summa quæque ipsumque Electorale fastigium, arcano factorum consilio, quasi deduceretur. Eodem beneficio Beatus Noster, sed per compendium domesticum, gavisus est, non agnatum foris, sed domitum Avum tum Parentem suum, ac utrumque Electorem, inveniens, ut à Pari hoc sine pari dexterimè felicissimeque ad imitandum invitaretur. Jucundum erat Heroi Nostro, illius meminisse novennii, per quod ab amantissimo sui Avo, sene imò Semone gravisimo, ut infans in ulnis, ut puer in oculis gerebatur, & ad exemplum suum, inter blanditias etiam ipsas, nutibus omni monitorum ac præceptorum vi multò fortioribus, fingebatur. Nec erat inter Majores ejus, quo cum, post Divum Mauritium,

magis quàm cum hoc Avo suo ipse in omnibus actionibus suis comparari gaudebat. Dubium autem non est, advertisse jam tum senem sapientissimum in suavissimo hoc Nepote suo igniculos ingenii ad tractandas artes bellicas apti ac intenti; hinc inter venandum admittebat eum non raro comitem & spectatorem, quippe quod hanc scientiam inter progymnasmata militiæ jam olim à Sapiensibus numeratam esse non ignoraret; arridendo applaudens puero, quoties videret senex, quod tenerâ illâ ætate jam aliquid hac in arte tentaret, & ad exemplum suum in his etiam Heroum lusibus componere se conaretur. At vero quo gravius, eò utilius tantæque spei Principe dignius erat, in imbibendis Christianæ Fidei capitibus à teneris occupari, studioque pietatis, cujus exempla exquisitissima tam paterna quàm avita quotidie oculis ejus obversabantur, mature assue fieri atque innutriri. Curam post alios, ut nihil horum negligeretur aut perperam innovaretur, susceperat Primas Ecclesiæ in Aula, at quam prudens, quam pius ac doctus Theologus, Jacobus Wellerus; quo moderante tum notitiam rerum divinarum acquisivit sibi egregiam, tum zelum pro religione, quam unicè veram ac salutarem esse certissimè sciebat, animo concepit ardentissimum, & nisi cum vita ipsa nunquam exuendum. Inter hæc maximarum rerum virtutumque præludia moriebatur Avus, Princeps & annorum & meritorum numero verè Magnus, ac imprimis felix ex eo, quod subditis suis per Filium, maturum jam Imperio & tantum non in eo hæctenus socium, perque Nepotem hunc suum in longissimum tempus abundè prospexisset. Sedente post ad clavum illo Salomone Nostro, Johanne Georgio II. vero Pacis Principe, quique toto illo

quo

quo regnavit tempore tranquillam publicæ rei administrationem habuit, iis etiam, quæ togatos Principes decent, virtutibus Heros imbuebatur noster, quibus dum bella foris gerenda essent, domi Rempublicam tutam & quietam præstaret. In hunc finem veterum monumenta, quibus res gestæ maximorum Heroum descriptæ extant, evolvere, diversas regiminis formas perlustrare, non unos variorum consiliorum eventus ponderare, reliquaque, quæ aliquando à se peragenda aut moderanda essent, mature addiscere non gravabatur. Quid? quod consiliis ipse, ad nutum Indulgentissimi ac Sapientissimi Parentis, postquam prudentia non minus quam ætate maturuisset, adhibitus fuerit, Senatorem quasi & partem Sanctioris Consilii præferens, ut tantò melius se aliquando ad instar capitis gerere publicaque ipse negotia moderari sciret. Non poterant tamen & illo tempore, quo in his ac vicinis Regionibus tranquilla erant omnia, fata Principis Nostri dissimulare, quod bello ipsum, non minus ac Mauritium, in primis destinassent. Natus erat ille sub auroram exorituræ mox pacis Westphalicæ, bello tamen adhuc durante maximèque sub finem, in modum exitialium morborum, apud vicinos in primis sæviente; ut inter domesticam pacem bellum aliquando sibi alibi gerendum esse, intelligeret. Impletum est omen, vivente adhuc Parente Optimo, studioque pacis deditissimo, quando Heros Noster, copias ejus adversus irruentem Gallum, numero quidem inferiores, virtute tamen pares, quid? semel iterumque fortuna superiores, ad Rhenum, Supremi Ducis officio defunctus, comitabatur, & non sine gloria rei prudenter, strenuè fortiterque gestæ domum revertebatur. Quem autem ex his initiis pro-

C

gres-

gressum, quem ex progressu finem augurari potuimus, nisi optimum? ut quæ sub Regimine Divi Parentis ab eo laudabiliter facta essent, imperante ipso non commutata, sed consummata videremus. Auspicium quidem Imperii habebat, quale simillimus ejus Mauritius, durum prorsus ac illætabile, sibiq; non minus quam nobis metuendum. Pestis invaserat has Regiones, cum è vivis excederet Divus Parens, Filioque relinqueret locum minus tutum. Malum hoc ubi desævierat, turbas in Alfatia Gallus dabat, Argentinâ interceptâ, quas induciis Cretensium fide initis in speciem sopitas, mox bellum Turcicum, & hoc flagrante adhuc, imo ut exardesceret magis magisque, Gallicum etiam conflabatur, haud aliter ac si tota Germania incendio illo involvenda, inque cineres redigenda esset. In quo iterum idem cum Mauritio fatum habuit Noster. *Quis nescit, inquit Panegyrista ejus, qui status fuerit temporum, in quibus curriculum habuit vita Mauricii? Quam turbulentus, fluctuans, infidus, proclivis ad ruinas exitiales?* Uterque tamen fortissimo animo fortunam temporis sui masculè pertulit, quid pertulit? fortiter vicit; quid vicit? plenè triumphavit. Quis miretur? Cura enim utriusque prima erat Deus, cujus cultum ut illibatum apud suos conservarent, servatumque ad seros usque posteros exterosque propagarent, omni ope operaque connitebantur. *Primum (id quod est primum, inquit iterum Laudator Mauricii Optimus,) veritatem Religionis amplexus & tutatus est.* Hinc in Mausoleo ejus Freibergensi elogium ejus non postremum: *Ecclesias & Academias conservavit auxitque.* Idem de Heroe Nostro dicere nos possumus ac debemus. Ecclesia enim ubi existit purior, quam in his regionibus? Ubinam
qvies

quies ejus & securitas legibus & sanctionibus innititur firmius ac certius? Has à Mauritio primùm Fratremque ejus Augusto, Principe in his verè Augusto, reliquisque ejus Successoribus decretas, auctas & confirmatas sanctissimè observavit, felicissimè conservavit Noster, ut in hunc usque diem, de primæva sacrorum puritate, contra Hæreticos & Novatores omnes, verè gloriari possimus. Initio Regiminis sui observaverat Sapientissimus Elector, Missæ Idolatricam & scenicam planè pompam plures, quam par erat, spectatores habere Dresdæ, ubi privatis in ædibus pridem cœperat ostentari. Sed à jure gentium, quod illi licentiæ favere videbatur, ne juri divino vis aut injuria inferretur, sollicitè curavit Serenissimus Noster, obice in primis statim Comitii posito, ut ulterius serpere venenum, & vel nudo aspectu nimis curiosos imprudentum oculos fascinare non potuerit. Sed cum malum impediret Princeps Optimus, pro bono etiam conservando & amplificando non minus erat sollicitus, jam à primis Imperii sui annis id agens enixe, ut catechetica, quæ vocant, exercitia, frequentius utiliusque instituerentur. Hinc inter Ministros Dresdensis Ecclesiæ operæ illustrandi Catechismi distributæ; Hinc Theologis Academiæ officium pervidendi impositum; Hinc toti Provinciæ publicis in Comitii libertas consulendi permittæ; Hinc in urbibus omnibus, omnibusque pagis, singulis diebus Dominicis, usus doctrinæ hujus saluberrimæ publice introductus, & ad hoc momentum usque feliciter conservatus. Hoc cum in re, ut videtur, minima maximum domi pariat commodum, foris non minor in vicinos utilitas redundavit, quoties Ecclesiæ ipsorum pressæ benignissimus Elector levamento fuit. Sentio me accendi ac

prorsus exardescere affectu in Religiosissimum
 Principem, cum recordor, quid altero statim anno,
 ex quo summæ rerum, etiam sacrarum in orthodoxa
 Germania, præfuerat, Silesiæ meæ præstiterit. In-
 gemiscebat afflictissima Patria, cum eloqui malum
 aut super eo conqveri ulterius non liceret; sed ge-
 mitus ipsumque ejus silentium intelligebat Princeps
 perspicacissimus, & quâ erat animi teneritate, ma-
 lum ejus ad se pertinere ratus, apud ipsum Impera-
 torem causam ejus prudenter non minus quam stre-
 nuè agebat, novasque, quæ reliquiis sacræ in Silesia
 libertatis imminebant, turbas, quantum in se erat,
 declinabat. Novi, quæ precibus suis pondera co-
 ram Imperatore adjecerit; vidi literas, quas ad ipsum
 dedit, divino ac heroico spiritu plenissimas; audi-
 vi de vocibus, quibus ipse apud Oratorem Imperatoris,
 Dresdæ præsentem, responsum semel iterumque ef-
 flagitavit; sed & me non latent lacrymæ, quibus
 præ gaudio multa hominum millia nuncium horum
 omnium in Silesia exceperunt, ipsumque coelum,
 ut inde flueret remuneratio, quasi inundarunt. De
 Republica quid dicam, quam optimè ordinavit, sa-
 pientissimè rexit, felicissimè conservavit. Quid mi-
 rum? Exemplum enim Mauritiï sui hic etiam secu-
 tus, quid? affectus est, totumque expressit. *Erat
 Princeps Mauritiï, teste Historico & Oratore sum-
 mo, ipse quidem ingenio sagaci & singulari industria;
 sed nihilominus tamen solebat adhibere in consilium
 de præcipuis rebus sapientiâ præstantes & usu peri-
 tos, cum quibus deliberare, & suas rationes conferre
 non intermittebat. Id intelligebat, & ad spem even-
 tuum utile esse, & ut ad externos invidiam ita ad ci-
 ves commendationem habere. Idem animus Heroi
 Nostro, studium idem atque propositum, nec alius*

in

in his omnibus eventus. Hinc justitiæ rigor, hinc æqvitati moderatio, hinc judiciis libertas sua ubiqve constabat; fræno etiam nuper admodum injecto iis, qvi præparati minus ac instructi immatura sua studia in forum protrudere non erubescunt. Optimè vero cum sic constitutum esset Reipublicæ corpus, ut interno malo facilè laborare haud posset; omni præterea non modo periculo sed etiam metu externi belli hostilisqve impressionis liberum illud præstitit. Idem in Mauritio laudat Panegyristes. Qvis dubitet? Utriusqve enim fortitudini, qva excelluerunt, hæc felicitas fuit adscribenda. Ad hanc vero ubi progrediendum mihi jam est, quàm amplum mihi patere campum video, ut in limine, nisi trita Mauritiæ vestigia pressurus essem, mihi sit hærendum. De illo sic legimus in monumento Freibergensi: *In exercitu Romani Imperii ad Budam Ungaricam educto, non animus Ducis præsentior, non virtus militis spectatior fuit, quàm Divi Mauritiæ suis stipendiis militantis.* Hæc ut Heroi Nostro aptemus, opus non est tortura verborum aut ulla inflexione. Budam si Vienna permutaveris, spontè fluent omnia. Nam in Exercitu Romani Imperii ad Viennam Austriæ educto, non animus Ducis præsentior, non virtus militis spectatior fuit, quàm Divi Johannis Georgii III. suis stipendiis militantis. Nam & hoc profectò admiratione & laude est dignissimum, inquit Orator de Mauritio, quod ad istam militiam proficiscendo non commodi emolumentiqve alicujus spe invitatus, sed tantummodò Patriæ respectu motus & laudum, quasi stimulis incitatus fuit. Eâdem Magnanimitate Heros Noster eduxit exercitum suum, eâdem liberalitate curam ejus recepit in se atqve sustinuit. Tanto autem animo cum gesserit hoc bellum, mi-

D rum

rum non est, quod haud minori impetu decreverit, illud atque susceperit, Victor prius humanissimarum precum nostrarum, quam armorum barbarorum. Vidisses, Conjugem dilectissimam, Heroinam incomparabilem, verbis ac gestibus blandissimis tentare omnia, ut ipsum à proposito revocaret. Audiisses, amantissimam Matrem, Brandenburgici sanguinis ac animi, dum viveret, viraginem, jam rogare, jam sollicitare ac propemodum hortari eum, ut in praesentissimum vitae periculum se ipsum ne praecipitaret. His jungere se, qui intimioris erant, admissionis Ministri, solliciteque conquirere ac exponere omnia, quae ad dissuadendum ullo modo facere videbantur: Aleam belli esse dubiam; metum periculi non inanem aut vanum; consuli Viennae ejusque saluti per exercitum posse; haud opus esse, ut ipse periculum capitis subeat, & cum hoste in arenam descendat. Sed frustra haec omnia; frustra preces, gemitus, consiliaque hominum contra Deum, à quo Princeps excitari se sentiebat. *Jehovam* elegerat *vexillum suum*, quod ante oculos haberet ubique ac semper sequeretur; cumque id Symbolo testaretur suo, factò etiam ipso exprimendum esse non malè putabat. Ita enim omnino credendum est, non audaci, sed Heroico, sed divino impetu Principem actum fuisse; quod eventus etiam manifestè docuit, indubieque comprobavit. Hinc erat, quod primus in hostem fortiter irruere, quod parva manu Exercitum, vel ipso numero formidabilem, masculè oppugnare, quod castris eum exuere, Sociisque suis ad ulteriorem victoriam facere sustinuerit. Hinc erat, quod per hoc praelium Vienna non tantum liberata, sed & fortuna Barbarorum atque potentia tam vehementer concussa fuerit, ut in
hunc

hunc usque diem nulla vi, astutiâ nullâ restaurari potuerit. Adeò quæ hæctenus ab illis reportatæ sunt victoriæ, revera pendent à prima illa Viennensi, Nostroque Heroi non minima ex parte debentur. Ut taceam, quid ad Budam & Belgradum aliaque munitionissima Hungariæ oppida & castra, multo sanguine, magnisque sumptibus redimenda & recuperanda, fortiter liberaliterque contulerit, jure suo gloriæ non minus partæ quam exantlatorum laborum particeps inter primos. Quid de Bello Gallico dicam, in quo non minora fidei ac fortitudinis suæ specimina dedit; In hoc etiam par Mauritio, quem Carolus V. contra eundem hostem semel iterumque socium habebat fortissimum fidissimumque. *Carolo V. (ita legitur in Mausoleo Freibergensi) contra Gallie Regem Franciscum ad oppidum Veromanduarum Landresium opem tulit, pro sua suorumque Majorum erga Imperatores perpetua observantia. Nec non: Carolo iterum contra Gallum auxilio veniunt ipse & Frater Augustus, & hostes pari alacritate & impetu aggressi, claram reportant victoriam. O quam aptè hæc conveniunt Heroi Nostro, Leopoldo Imperatori contra Gallum iterum iterumque suppetias ferenti, toto Exercitu suo ad Rhenum, etiam cum primùm esset solus, magno animo aliquoties educto, quid? Principibus Filiis, paternæ fortitudinis admiratoribus & hæredibus, in societatem laboris, periculi & gloriæ benignè ac prudenter adscitis & receptis. Nec est, quod solam Moguntiam longa obsidione, aut Hailbrunnam celeri adventu per eum liberatam, inque libertatem assertam putemus; plures omninò sunt, quas non minori si non eodem beneficio affecit, Imperii Urbes, imo totæ Provinciæ, quas à metu irruentis aut imminentis Galli tempe-*

stivè liberavit; planè sicut Mauritius, cùm ad Landresium Carolo V. succurreret, pluribus oppidis ac regionibus, vim aliàs à Gallo passuris, auxilio fuit. Hæc autem cum tanta esset, quanta solet esse, cùm est maxima, Electoris Nostri pietas in Cæsarem & Imperium; augere tamen eam, imò penitus exple-re, non recusavit, recipiens hoc Anno in se, volente Imperatore, totius ad Superiorem Rhenum Exercitus gubernationem, eâque sic functus, ut superbum, potentem, callidumque hostem ex metu ultra flumen se recipere, sibi que fuga consulere, nec nullam Heroi Nostro victoriam relinquere oportuerit. O quam gestiebat progredi ulterius, hostemque insequi ad internecionem usque, nisi obicem subito posuisset Deus! Jus ille moderandi victorias habet, summum; quod jam olim gentilis Xenophon in prælio Spartiatarum & Thebanorum observavit & annotavit. Utitur etiam ea, quæ est sapientia, in exercendo illo mediis, quæ de causa superiori manifestè testentur. Non hostis, non miles noster, nec illius terror aut hujus metus, retardavit Principem, animosissimum, ut ab insequendo hoste paululum desisteret, cursumque victoriæ abrumpere ipse videretur. Deus erat, qui genus armorum sui generis adhibens, morbos immittebat in Exercitum, ac vires Ejus haud parum imminuebat, quid? Ipsum, eheu! Principem in ipsis castris Clinicum agere locumque commodiorem quærere cogebat. Utinam verò, quæ primùm affulgebat, spes recuperandæ sanitatis tam subito non decollasset! Sed abundè impletum erat curriculum rerum fortiter ac laudabiliter gestarum; planè ad mensuram Divi Mauriti, qui non prolixius regnandi spatium confecit. Nam uterque post impletum undecimum regiminis sui

an-

annum orbi valedixit. Uterque nisi in castris, ceu strenuum decet Imperatorem, non occubuit, vi quidem ille, hic placida morte extinctus, *in medio florentis adhuc ætatis & rerum præclarissimarum cursu, postquam uterque veræ virtutis studio famam Illustrissimi Nominis singularem collegisset, quam & brevitatis temporis facit admirabiliorem, & finis vitæ tutiorem, & similitudo priscorum Heroum luculentiorum.* Faciunt autem hæc summarum laudum compendia, ut & ego sim brevior in amplificandis ejus e-logiis, quæ à felicitate Conjugii, Regio cum Sangvine initi, & à Principum Filiorum virtutibus, & à merito ejus in Imperium per electum Romanorum Regem, & à Legationum splendore foederumque robore, imò à suppetiis in Peloponnesum usque, longissimâ viâ, majori tamen adhuc famâ & gloriâ, transmissis, nec non ab itineribus ipsius in Daniam, Italiam & Belgium susceptis, & ab innumeris aliis haud vulgaribus argumentis petere, inque immensum extendere facillimum mihi esset. Unum tamen est, quod sicco pede transilire non possum, idque cum specimen pietatis fuerit luculentissimum, Deique beneficium singulare, ipsi cum Mauritio etiam extitit commune. Utar autem non meis, sed Camerarii Nostri verbis, quibus dum extrema describit Mauritii sui, ultima Johannis Georgii Nostri clarè simul exprimit; adeò hi per omnem vitam similes sui Heroes eundem etiam vitæ finem beatè fecerunt. *Cum Sacerdote, (ita refert ille, ita testantur hodiè Tubingenses,) colloquium habuit fidele, & sacratissimorum Christianæ communitatis Mysteriorum cupidissimè particips factus, verbis piis & sensum intimum cordis sui testantibus, invocavit æterni Dei misericordiam, celebrando nomen, & testando fidem unici Salvatoris, Re-*

E

con-

*conciliatoris, Intercessoris Jesu Christi, Filii Dei. Quæ pietatis ut semper hæreret cogitatio, petiit, necessaret Sacerdos, & de Christo, donec spiritum ducere animadvertetur, mentionem salutarem facere, & sibi ea subjicere, quibus in fide Christi, animus confirmaretur. O mortem, neque ei à quo obita est, incommodam aut malam, neque ulli, qui hunc charum habuit animo suo, aut submissa voluntate favit prosperæ fortunæ & laudi ipsius, deplorandam! Nec est, quod nos cura Ecclesiæ aut Reipublicæ angat ac perturbet. Alter enim, qui utriusque salutem habeat sibi commendatissimam, Dei gratiâ, non deficit. Mortuô Mauritio communis eruditorum querela erat, Epaminondam Germaniæ è medio sublatum esse, cum uterque in prælio Victor, post illud ex vulnere decesserit; auramque secundam, veluti in cursu valdè prospero felicitis fortunæ, deseruisse tendentem illum ad restituendam pristinam Germaniæ libertatem. Secutus hunc annis ferme ducentis Philopæmen, ægre adhuc quasi spiritum exilem & infirmum ducentem miseram Græciam, conatus est allevare atque sustentare. Sed hunc imprimis, Epaminondæ constantiam & integritatem studuisse, humanitatem exprimere non potuisse accepimus; ejusque interitum gravior ruina Græciæ est secuta. Hæc verò dum addit Scriptor gravissimus, metuisse se, post mortem Mauriti, Germaniæ haud parum, non obscure innuit. Deo verò sint gratiæ, quod post obitum Nostri Epaminondæ, non post ducentos demum annos Philopæmen aliquis, sed statim Filius Patris simillimus succedat, qui non tantum constantiam ejus & integritatem, sed & humanitatem reliquasque virtutes omnes examussim referre, omnibusque numeris implere possit. Quid? Non unus
sed*

sed geminus adest Philopæmen, Par Fratrum inclu-
 tissimum, Noster quasi Castor & Pollux, qui dum in-
 ter oriendum sunt & manent conjunctissimi, fausta
 feliciaque nobis omnia promittunt. Ne Hercules
 quidem adversus hos duos: Imo contra unum illum,
 quem novo Regimini apprecamur Protectorem ac
 Sospitatorem, nemo. Te enim, Deus Optime Ma-
 xime, Rex Regum & Dominator Dominantium,
 hunc eligimus, precibusque nostris exoramus &
 impetramus. Tu, quæsumus, sis Serenissimo Ele-
 ctore Nostro in solatium & auxilium, ut jacturam
 desideratissimi Parentis, unâ cum Matre Serenissi-
 ma, Vidua jam mœstissima, cumque omni sanguine
 suo, æquo animo ferat, ipsumque uti virtute ita feli-
 citate reddat nobis posterisque Nostris diutissimè,
 semperque sit, qui sedeat in Throno Patris sui. Si
 togam induat Princeps Optimus, tu orna eum at-
 que fove: si sagum, tu protege illum ac juva. Ser-
 va eum; sic servabitur Ecclesia & Respublica. Ser-
 va unum; sic nos omnes conservabimur. Votum
 nostrum, quo complectimur omnia,
 est Salus Principis!

D I X I.

FK 5206

FUNEBRIS.

sed geminus abest Philopater, Pat Fratrum incli-
 cistimus. Noster dicitur Castor & Pollux, quid in-
 ter orientum sunt & manent conjunguntur, sancta
 felicitate nobis omnia promittunt. Ne Hercules
 pudentes aduersus hos duos: Imo contrarium illam,
 quem novo Regimini approbatur Protegorem ac
 sospitorem, nemo. Te enim, Deus Optime Ma-
 xime, Rex Regum & Dominator Dominantium,
 hunc eligimus, precibusque nostris exoramus &
 impetramus. Tu, quatenus, sis serenissimus Ro-
 mani Nostro in solatium & auxilium, ut iactantur,
 desideratissimi Patris, tua cum Mater serenissi-
 ma, Vidua iam micellissima, cuiusque omni sanguine
 suo, revo animo ferat, ipsiusque uti virtute ita fel-
 citate reddat nobis perfectissime Nostri dicitur
 temperate sit, qui sedeat in Throno Patris sui. Si
 togam induat Princeps Optimus, tu omnia cum ac-
 que fore: Magni, tu protege illam ac iura. Ser-
 va eum; sic servabitur Ecclesia & Respublica. Ser-
 vatum; sic nos omnes conservabimus. Votum
 nostrum, pro completum omnia,
 est Salus Principis.

D I X I

ne



ULB Halle 3
004 820 916


W 17





n. 4, 42.

Vc
5206

MAURITIUS ALTER,

QVI FUIT

SED EHEU! FUIT

SERENISSIMUS AC POTENTISSIMUS
DOMINUS,

D. VAL. ALBERTI, P.P.

JOHANNES
GIUS

GEORGIUS,

DUX SAXONIAE
MONTIUM, NEM-
PHALIAE, S. ROM. IMPERII
LANDGRAVIUS THURINGIAE
USQVE LUSATIAE,
PRINCIPALI DUCIS
MARCIAE, RA-

CLIVIAE AC
SAXONIAE ET WEST-
PHALIAE ET ELECTOR,
SAXONIAE MISNIAE AC UTRIUSQUE
SAXONIAE DEBURGI, COMES
SAXONIAE, COMES
SAXONIAE, DYNASTA

MAGNANIMUS
H

INVICTUS,
IS,

PATER

TIMUS,

DOMINUS NOSTRUS
NUTRITOR

POTENTISSIMUS,
POTENTISSIMUS,

IPSO ILLUSTRATO

EXEQVIARUM

XI. DIE

MDCCXCI.

ACADEMIAE

S NOMINE

IN AEDIBUS PAULI

ENNITERQUE

D. VAL. ALBERTI, P.P.

LIPSIÆ,

Apud CHRISTOPH. FLEISCHERUM.

